

gat in conscientia, nec censetur præcipere ut jurisdictione utens, sed ut spiritualis pater; neque etiam censetur rigore exigere promissam obedientiam, donec expressis et quasi præscriptis verbis id declaret; ergo eodem modo de regula censendum est.

6. *Auctoris opinio quantum ad gravem obligationem.* — Inter has sententias difficile est ferre iudicium, quia difficile est intentionem auctoris uniuscujusque regulæ conjectari; nam simplicia verba revera ad hoc non sufficiunt, ut generaliter dixit Navar., dict. c. 23 Summæ, num. 50, et in religiosa regula propter speciales rationes maxime locum habet, ut omnia adducta declarant. Hæc autem ipsa difficultas satis persuadet, quod ad obligationem peccati mortalis attinet, admittendam non esse in regula, nisi vel aperte contineat materiam voti, ut est apud Augustinum illa: *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia*; vel nisi contineat materiam alias per se necessariam, ut est illud apud eundem Augustinum: *Ubicumque femine sunt, invicem vestram pudicitiam custodite*; et illud: *Qui convilio, vel maledicto, vel criminis objectu aliquem læsit, meminerit satisfactionem, quantocius curare quod fecit; et ille, qui læsus est, sine disceptatione dimittere*. Vel denique nisi speciali aliquo signo, aut spirituali poena, necessitas præcepti sub gravi culpa aperte significetur; cujus membri exemplum in materia alias non necessaria (ut verum fatear) in regulis Basilii, Augustini, aut Benedicti non invenio, neque in regulis Pachomii, neque in illis quæ circumferuntur nomine Hieronymi; neque in regula Carmelitarum alia verba invenio, præter hæc: *Debeat, non liceat, jejument, etc.*, quæ etiam in rigorosis seu proprie dictis legibus non solent gravem obligationem indicare.

7. *Non obstat proxime dictis regula S. Francisci aut Pontificia ejus declaratio.* — Solum facit nobis negotium regula S. Francisci, præsertim addita expositione Pontificis, in d. Clemen. *Eaxvi*. Sed, si attente expendantur verba et circumstantiæ illius regulæ, facile intelligetur nihil obstare dictam determinationem; nam ter tantum in illa regula invenitur hic modus loquendi: *Firmiter præcipio*; in quo Pontifex declarat rigorosum præceptum indicari, et merito, tum quia in tribus illis locis sermo est de materia trium votorum, in cap. 4 de paupertate, in 10 de obedientia, in 11 de castitate. Tum etiam quia ille modus exaggerationis, *Firmiter præ-*

cipio, indicat obligationem et (ut sic dicam) voti firmitatem. Tum etiam quia in illa regula valde accurate distinguit Sanctus modum loquendi, quando vult præcipere, vel quando vult tantum monere aut exhortari, vel consu- lere. Est etiam aliud in illa regula peculiare, quod in ea fit promissio servandi talem regulam; ex qua promissione colligit Pontifex rigorosam obligationem regulæ, quoad ea quæ sub dictis verbis præcipit. Præter illa tamen tria loca, sunt alia, in quibus ponuntur hæc verba, *teneantur, vel, non debeant*, quæ Pontifex fatetur in rigore non æquivalere verbis præceptivis, ibi: *Licet fratres non ad omnia, quæ sub verbis imperativi modi ponuntur in regula, sicut ad præceptorum seu præceptis æquipollentium observantiam teneantur, expedit tamen, etc.* Unde quæ postea ipse declarat habere vim præcepti, speciale est ratione materiæ, verbi gratia, voti paupertatis, vel alterius similis in eis contenti, vel etiam ex circumstantiis, et consuetudine ac traditione illius ordinis, quæ ita intellexerat et observaverat illa præcepta, ut de jejunio, et simili- bus.

8. *Item ejusdem opinio quantum ad levem obligationem culpæ venialis quæ.* — *Quomodo in variis religionibus discernatur regula a mero consilio.* — Quod vero spectat ad obligationem peccati venialis, non est multum contendendum: quia vix potest separari venialis culpa a transgressione regulæ, ut statim dicam n. 12. Et ideo verisimile est, ubi expresse non excluditur hæc obligatio, induci per propria statuta et constitutiones regulæ. Dico autem, *per propria statuta*, propter distinctionem D. Thomæ, quæ valde notanda est, quia in regulis misceri solent alia, quæ sunt pura consilia, quæ, ex omnium sententia, nullam obligationem inducunt, sicut in lege Evangelica sunt consilia nullam obligationem inducentia, ut præter Hieronymum supra citatum explicat Augustinus, de Sancta virginitate, cap. 4. Et optime Chrysostomus, tom. 4 Homil., in id, *Salutate Priscillam et Aquilam*, quæ habetur post commentarium in Epist. ad Rom. Discernere autem illa duo interdum est facile ex verbis, ut clarius patet in regula Francisci quam in aliis; interdum vero ex materia, et ex modo doctrinæ, quæ potius præponitur per modum recordationis quam ordinationis, ut est in regula Benedicti, statim in principio: *Abbas semper meminisse debet, etc.*, et alia multa similia sunt in illa regula, et nonnulla in regula Augustini, quam-

vis in ea frequentius ordinando et statuendo loquatur. In regula autem Basilii, prout in ejus operibus nunc habetur, etiamsi quædam habeant nomen regularum, et aliæ Constitutionum, omnes traduntur magis per modum doctrinæ et consiliorum, quam statutorum; tamen in regula Carmelitarum, quæ censetur esse Basilii, distincte ponuntur prius statuta, et postea exhortationes, quæ ut plurimum tantum continent consilium, vel commemorationem Evangelicæ doctrinæ. Hæc ergo consilia et exhortationes per se nullam obligationem inducunt, præter eam, quam ex natura rei vel ex Evangelio habent res, de quibus fiunt. Statuta vero videntur inducere obligationem saltem sub veniali culpa, ubi aliud non explicatur. Quamvis multum in hoc valeat consuetudo et communis sensus religionis; nam ad interpretandam legem plurimum valet, et ideo potest ei adjicere obligationem vel tollere.

9. *Quomodo in religione Prædicatorum idem discernatur.* — Atque hæc distinctio inter statuta et consilia notari etiam potest in illis regulis, quæ expresse excludunt obligationem ad culpam etiam venialem; nam statuta illarum obligabunt ad poenam: mera autem consilia neque etiam ad poenam videntur obligare, quia nullam omnino necessitatem inducunt, alias non haberent in quo ab statutis talis regulæ distinguerentur. Imo in religione Prædicatorum videtur non incurri debitum poenæ, nisi per transgressionem regulæ imponentis et taxantis illam; quia declaratio generalis est, ut regula solum obliget ad sustinendam poenam taxatam in ea. Unde solum illa capitula regulæ, et Constitutiones, quæ sub poena aliquo modo taxata aliquid ordinaverint, habebunt rationem statutorum; reliqua vero erunt mera consilia, nisi ex eis, vel ex usu constet propter eorum transgressionem solere Prælatos poenitentias injungere suo arbitrio taxandas, nam hoc satis erit ut habeant vim statutorum.

10. *Quomodo item in Societate.* — *Temperantur proxime dicta de Societate.* — Unde in Societate cum nulla sit ordinarie obligatio ad culpam, nec taxatæ poenæ comminatio, omnes regulæ et constitutiones censentur esse non tantum consilia, sed statuta, quia de omnibus exigitur perfecta observantia in eisdemmet Constitutionibus, sexta part., cap. quinto, et part. decima, § decimo tertio, et pro cujuscumque transgressione possunt Prælati accommodatam poenitentiam injungere. Qua-

re vix possum in eis distinguere consilia ab statutis, nisi fortasse ex parte materiæ. Nam in regula Societatis multa sunt, quæ solum generaliter componunt interiorem hominem, et nihil externum, aut in particulari seu certis temporibus agendum statuit, ut cum dicitur, curandum esse ei, qui Societatem ingreditur, ut *omnem carnis affectum erga sanguine junctos evuat, et illum in spiritualem convertat*¹; et illud: *Diligenter animadvertant oportet, quantopere juvet ad vitæ spiritualis profectum omnino et non ex parte abhorreere ab his omnibus, quæ mundus amat, et amplectitur, etc.*, et similia multa, quæ in Summario Constitutionum collecta sunt. Reliqua vero omnia, quæ aliquid determinate agendum ordinant vel prohibent, propria statuta sunt, quæ necesse est aliquo modo versari circa exteriores actus; nam, licet etiam dentur statuta de actibus mentalibus, tamen quatenus ad illa præscribunt certum tempus, in quo postulant vacationem ab aliis actibus externis, respiciunt etiam exteriorem observantiam. Ita ergo possunt aliquo modo in illa regula statuta a consiliis distingui; ita tamen hoc est accipiendum, ut etiam illa, quæ dicuntur consilia, censeantur specialiter proposita professoribus hujus regulæ, ut et ad illa aspirare debeant, et secundum illam seu in ordine ad illam regi a Superioribus possint, et ordinationes recipere; unde solum videntur ab aliis in hoc differre, quod defectus vel imperfectio- nes contra illa puniri non possunt, quia pro actibus internis nullus ab homine judicatur vel punitur, etiamsi puniri possit pro externis defectibus, qui illam internam imperfectio- nem indicant; vel etiam per voluntariam confessionem talis defectus interni extra Sacramentum factam, possint per correctionem religiosam tales defectus puniri. Et ad hoc etiam extendi posset illa regula Societatis, quæ jubet aliquoties postulare poenitentiam propter defectus regularum. (In Summario, § 51.) Atque ita in Societatis instituto, secl- usis rigorosis præceptis quæ præter vota fere nulla sunt, parva est inter consilia et statuta distinctio.

11. *Dubitatur an revera frangi possit regula non obligans ad peccatum, absque omni peccato.* — *Ratio dubitandi.* — *Ejus confirmatio.* — Ultimo, dubitari hic potest quomodo transgressio statuti seu constitutionis, sine legitima causa excusante facta, possit non esse aliquod

¹ In Summario, § 8 et 11.

peccatum. Nam, eo ipso quod aliquis est membrum alicujus Reipublicæ, obligatur in conscientia ad servandas leges ejus; sed statuta et constitutiones sunt leges hujus religionis; ergo, eo ipso quod quis est membrum religionis, obligatur in conscientia ad servandas illas; ergo non potest vitare peccatum saltem veniale in earum transgressione, nisi ex dispensatione, vel justa epikeia. Confirmatur, nam *turpis est pars, quæ discordat a toto*; quæ proportio sufficit ad culpam venialem, juxta vulgarem sententiam Augustini communiter receptam in materia de legibus; sed hanc improportionem incurrit religiosus quoties ex puro arbitrio aut negligentia transgreditur regulam; ergo. Propter hæc dicunt aliqui, religiosum transgredientem quodcumque statutum regulæ, etiam minimum, non excusari a culpa veniali, quantumcumque institutor expresse declaret regulam non obligare etiam ad veniale. Quia, licet per se et directe obligare nolit, non potest excludere naturalem obligationem, quæ indirecte sequitur, posita lege, sicut legislator, quantumcumque nolit se obligare, tenetur servare legem a se latam, ex illo principio naturali: *Patere legem quam ipse tuleris*. Vel sicut dispensatus in lege positiva valide et sine causa, peccat, saltem venialiter, utendo dispensatione, ratione illius principii, *Turpis est pars, etc.*

12. *Contraria sententia vera.* — *Quomodo vera sit hæc sententia in commissione contra regulam.* — Sed hæc sententia mihi non placeat, quia repugnat menti et intentioni talium religionum et auctorum earum, et inutiles reddit conatus eorum; quid enim refert, propter majorem securitatem, et ad tollendos laqueos nolle directe obligare ad culpam venialem, si eo ipso necessario inciditur in eandem obligationem alio titulo, præsertim cum id sine sufficienti fundamento dicatur, ut ostendam? Dico ergo, facile intelligi posse in hac transgressione, per se loquendo, non esse culpam venialem, licet per accidens frequenter incurratur. Declaro utrumque, distinguendo duplicem transgressionem, per commissionem, vel omissionem, et in utraque distinguendo duo, scilicet opus, et quod sine licentia fiat, et omittere petitionem licentiæ ad id faciendum. Quando ergo actus, qui fit, est prohibitus per regulam, et supponitur non malus de se, nec per ecclesiasticam prohibitionem (alioquin habebit aliunde malitiam, non ex regula), tunc considerandum est motivum propter quod fit talis actus; nam si illud revera est

honestum, actus nullum peccatum erit, quia sola oppositio ad regulam, vel ommissio petitionis licentiæ, non est circumstantia sufficiens ad vitandum actum, cum non sit talis prohibitio quæ ex intentione prohibentis reddat actum malum, quia hoc ipse declarat cum dicit nolle obligare in conscientia. Quia vero raro contingit religiosum operari ex motivo honesto, quando operatur contra regulam, sed ex aliqua otiositate vel delectatione, ideo frequenter hoc non fit sine culpa veniali.

13. *Quomodo item vera in omissione regulæ.* — Idem cum proportionem dicendum est de omissione regulæ contraria, nam ex illo capite non est mala solum quia prohibita, et ideo non est per se mala; per accidens autem erit ex voluntate, qua est voluntaria. Quod duobus modis esse potest, scilicet, vel in actu positivo, qui est causa ejus, vel in se. Priori modo judicanda est juxta qualitatem actus; ut si quis omittat orationem, hoc tempore injunctam per regulam, propter studium, considerandum est quo motivo vacetur studio; nam si sit honestum, et cum aliis circumstantiis intrinsece requisitis ad talem actum, ex solo capite illius omissionis non est malum, quia ipsa ommissio per se mala non est, et ita nullum ibi intervenit peccatum. Quia vero motivum honestum non inducit ad agendum contra regulam, ideo frequenter talis actus est culpabilis ratione extrinseci finis. Quod si ommissio consideretur ut in se voluntaria, subdistinguendum est, nam potest esse voluntaria tantum indirecte, quia non advertit, quamvis posset; et tunc censeo semper excusari omnem culpam in tali omissione, etiamsi interveniat aliqua negligentia in considerando; quia hæc ipsa negligentia, licet sit minus perfecta, non est mala, quia nec est intrinsece mala, neque intervenit prohibitio quæ reddat illam malam. Imo, licet illa inadvertentia vel negligentia proveniat ex præcedente occupatione alias culpabili, non fiet inde ommissio mala; quia illa præcedens culpa non est causa talis omissionis, et licet sit causa ejus, non inde aggravatur in malitia sua, cum aliunde ipsa ommissio in se mala non sit. Potest denique ipsa ommissio esse directe et in se voluntaria, ut si quis nolit, verbi gratia, orare; et tunc licet objectum illius volitionis non sit malum, quia illa ommissio in se mala non est, de ipso tamen actu volendi seu nolendi, prout in individuo fit, judicandum est juxta motivum ejus, nam si sit honestum, etiam voluntas erit honesta; si autem sit turpe, erit voluntas

mala; si denique sit indifferens, ut delectatio aliqua, vel fuga alicujus laboris, actus erit in individuo otiosus, et consequenter peccatum veniale. Et hujusmodi frequentius esse solent tales omissiones; fiunt enim ex quadam animi tepiditate ad superandam aliquam difficultatem; et ideo practice vix fiunt sine aliqua culpa veniali, non propter obligationem regulæ, sed propter irrationabilem volendi vel nolendi modum in individuo. Quod patet, nam in actibus etiam consiliorum contingere potest hic modus peccandi venialiter, ut si quis directe nolit esse religiosus, otiose et sine ulla rationabili causa habendo hunc actum.

14. *Quomodo denique sit vera in omissione licentiæ petendæ.* — Idem judicium est de omissione petendi licentiam, quæ semper conjungitur cum hujusmodi regulæ transgressione; imo in illa maxime consistit. Nam, si actus præscriptus a regula ommitteretur, vel contrarius fieret cum licentia Prælati, non esset transgressio; ergo si quid malitiæ est in tali actu, videtur maxime consistere in non petenda licentia. Considerandum ergo est quomodo omittatur ejus petitio, an directe vel indirecte, et applicanda est doctrina tradita; nam hæc etiam ommissio in se mala non est, cum obligatio ad talem licentiam petendam solum sit ex regula quæ ad culpam non obligat, ut supponimus. Potest etiam interdum contingere ut, petita licentia, et non obtenta, quis operetur vel omittat contra regulam; et tunc est nonnullum periculum contemptus, de quo statim disputabimus sequenti capite; secluso autem contemptu, etiam tunc non est per se mala illa operatio vel ommissio, sed judicandum de illa est juxta motivum operandi, et regulas positas, quia etiam tunc actus non est intrinsece malus, neque etiam intervenit sufficiens prohibitio, quæ illum reddat malum; suppono enim Prælatum negando licentiam non imponere novum præceptum obligans in conscientia, nam tunc esset nova obligatio, sed non ex vi regulæ.

15. *Ad rationem dubitandi in num. 11.* — *Ad confr. ibid.* — Ad rationem ergo dubitandi respondetur, membrum communitatis obligari quidem ad servandas leges communitatis, non tamen aliter quam illæ obligent; si ergo illæ ita sunt impositæ, ut in conscientia non obligent, nemo suscipit majorem obligationem eo quod talem statum profiteatur. Ad confirmationem respondetur, cum dicitur turpem esse partem, etc., si per hoc significetur operatio contra rectam rationem, intelligen-

dum esse illud principium, quando pars non conformatur toti in observatione legis obligantis in conscientia, quia tantum hujusmodi lex continet rectitudinem rationis necessariam ad honestatem morum; et ideo in præsentibus non habet locum hoc principium ita intellectum, sed ad summum potest dici religiosus transgressor regulæ esse imperfecta pars, atque adeo turpis latiori modo, quia imperfectio latius patet quam venialis culpa. Posset etiam incurrere turpitudinem peccati ex illo principio, ratione scandali et infamiæ religionis, et pro illius qualitate erit major vel minor turpitudine. Denique alio etiam modo potest hæc pars turpis vocari, si velit ita esse transgressor regulæ, ut non subiaceat pænæ seu disciplinæ religiosæ; nam in hoc jam discordaret a toto in eo ad quod in conscientia tenetur, ut supra explicatum est.

CAPUT IV.

UTRUM RELIGIOSUS TENEATUR SUB PRÆCEPTO AD NON CONTEMNENDAM REGULAM, ET CONSEQUENTER AN TENEATUR AD PROGREDIENDUM IN VIA PERFECTIIONIS SECUNDUM REGULAM.

1. *Pars affirmans, ejusque auctores.* — Communis sententia Doctorum est, quamvis religiosus non peccet per se transgrediendo regulam, si tamen id faciat ex contemptu, esse peccatum mortale, etiam in minimis. Quamvis enim hoc ultimum non omnes asserant, tamen D. Bernardus, qui videtur esse præcipuus auctor illius sententiæ, ita expresse loquitur in lib. de Præcepto et dispensatione, enique absolute sequuntur D. Thomas, dict. 2. 2. q. 186, art. 9, et hinc forte in constitutionibus sui Ordinis, cum sæpe dicatur eas ad mortale non obligare, semper exceptio fit de contemptu; item Bonaventura, tom. 1 Opusc., lib. 2 Pharetræ, c. 44, et plures alii quos retuli in opere de Legibus, lib. 3, c. 28, n. 2. Explicans autem D. Thomas hunc contemptum, ait transgressionem regulæ non obligare ad mortale, nisi propter contemptum regulæ; quia hoc directe contrariatur professioni per quam aliquis vovit regularem vitam; unde sentit tunc aliquid in particulari fieri contra regulam ex contemptu, quando simpliciter tota regula contemnitur, et ex illo absoluto contemptu derivantur particulares transgressiones. Per contemptum autem regulæ videtur D. Thomas intelligere absolutum propositum non servandi illam, seu vivendi ita libere, ac si illa non